



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus, ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. III. Vtrum inter Verbum & humanitatem mediet quidam modus substantialis, per quem natura humana formaliter jungatur personalitati Verbi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

none idiomatum, dicendum est, quod ea quæ absolute dicuntur de Christo, possunt dici absolute de Verbo, aut Filio Dei, per communicationem idiomatum, nisi sint talia quod determinant hoc subiectum, *Christus*, ad hoc ut stet solum pro composito ex natura humana & divinitate: hæc autem prædicata, *Christus est compositus*, *Christus est terminus resultans ex unione personali duarum naturarum*, determinant ipsum Christum ad standum pro aggregato ex natura humana & divinitate, & sic non possunt dici sine addito de Filio Dei, aut de Verbo, sed solum cum addito, nempe quatenus est persona humana, sive prout in natura humana subsistit.

38. Objicies quartò contra secundam conclusionem: Personalitas est medium in quo divina & humana natura in Christo uniantur: Sed medium in quo uniantur partes componentes, non est extremum componens: Ergo personalitas Verbi non potest propriè dici extremum in hac compositione de qua agimus.

39. Confirmatur: Etsi inter accidens & subiectum cui inhaeret, vera reperitur compositio, non tamen inter ipsum accidens & quantitatem quæ mediante inhaeret subiecto; quia quantitas non est subiectum sustentans ipsum accidens, sed medium quo accidens coniungitur & copulatur subiecto, eique inhaeret: Atqui ad eum modum se habet personalitas Verbi Divini, in hac mirabili unione, de qua agimus, est enim ratio uniendo divinam naturam humanitati: Ergo non potest propriè dici extremum in hac compositione.

40. Respondeo quod quando id quod est ratio uniendo unum extremum cum altero, solum habet rationem nexûs & vinculi (ut est unio inter materiam & formam, in sententia illorum qui dicunt illam esse quemdam modum substantialem ab ipsa materia & forma distinctum) non habet rationem extremi componentis: sed quando non habet rationem nexûs & vinculi, tunc potest habere rationem componentis. Sic punctum continuans partes, non solum est medium quo illæ uniantur, sed etiam est aliquo modo extremum quod unitur. Sic etiam quantitas est medium quo albedo unitur corpori, & simul est extremum quod unitur corpori. Cum ergo personalitas Verbi Divini non habeat puram rationem nexûs naturæ humanæ cum divina, etenim verè terminat illam, eamque complectitur in genere substantiæ, potest esse extremum in compositione illa mirabili quæ in Christo reperitur.

41. Ad confirmationem, negatur assumptum, quod videlicet inter quantitatem & albedinem v.g. non reperitur vera compositio, nisi enim esset vera compositio, non posset dici ipsa quantitas alba. Sed de hoc in Philosophia.

42. Ex dictis colliges quid sit sentiendum de opinione Cabrera, ponentis compositionem in persona Christi, nedum ex natura humana & divinitate, tam ut dicit naturam quàm personam Verbi, sed etiam ex alia & alia ratione subsistendi formaliter: cum enim compositio sit distinctorum unio, & distinctio realis non reperitur in Christo quoad propositum, nisi inter naturam divinam & humanam, & inter divinam personam & naturam humanam, nulla alia potest realis compositio reperiri, quam ex natura humana & divina, & ex persona Verbi & natura humana.

ARTICVLVS III.

Utrum inter Verbum & humanitatem mediet quidam modus substantialis, per quem natura humana formaliter coniungatur personalitati Verbi?

§. I.

Proponitur status difficultatis, & conclusio negativa statuitur.

VT status huius difficultatis clarè percipiatur, notandum est, quod sicut unio materiæ cum forma potest sumi tripliciter. Primò effectivè, pro actione generantis, per quam materia & forma inter se coniunguntur, & quæ potiùs unio quàm unio dici debet. Secundò formaliter, pro eo quod illa extrema formaliter inter se coniungit, sive sit aliquis modus substantialis, sive non, de quo disputant Philosophi in 2. physic. Tertio relativè, pro relatione scilicet quæ resultat inter ipsam materiam & formam, ex eo quod inter se conjunctæ fuerunt. Ita similiter unio Verbi Divini cum humanitate tripliciter usurpari potest, nimirum pro actione per quam Deus suâ infinitâ virtute humanitatem coniunxit Verbo Divino, & quæ est communis tribus sanctissimæ Trinitatis personis, debetque dici potiùs unio, quàm unio; pro eo quod formaliter coniungit humanitatem Verbo Divino; & pro relatione quæ resultat in humanitate assumpta, ex conjunctione illius cum Persona Verbi. Si loquamur de unione hypostatica primo modo sumpta, certum est illam esse quid increatum, nimirum actum divini intellectûs & voluntatis, formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem. Item si sit sermo de ea tertio modo considerata, concedunt omnes illam esse aliquod accidens de prædicamento relationis, resultans in ipsa humanitate assumpta, cui ex parte Verbi correspondet solum respectus rationis. Unde tota difficultas devolvitur ad unionem secundo modo spectatam, de qua quæritur, an sit aliquis modus substantialis, a Verbo & humanitate modaliter distinctus, qui sit fundamentum illius relationis quæ resultat in humanitate assumpta, & terminus formalis actionis unitivæ? quod ut magis declaretur,

Notandum secundo, inter Verbum & humanitatem duplicem nos posse concipere nexum: unum realiter & entitativè distinctum ab extremis, & qui sit tertia quædam entitas afferens proprium esse; eo proportionali modo quo duo lapides uniantur per calcem, vel duo panni, mediante filo, quo unus assuitur alteri: alterum qui sit solum modaliter distinctus ab extremis, & similis illi quem plures Philosophi inter materiam & formam constituunt. Non est quæstio hæc de primo nexu, sed tantùm de secundo, nimirum de modo substantiali unionis, de quo quærimus, utrum inter Verbum & humanitatem mediet, eaque formaliter inter se coniungat.

Affirmant Suarez, Vazquez, Cabrera, & ex recentioribus Thomistis tres illustrissimi ac eruditissimi Episcopi, Herrera Tarazonensis Episcopus, Aravio Episcopus Segobienensis, & Godoy Episcopus Oxomenis. Negant vero Cajetanus, Alvarez, Nazarius, Joannes à S. Thoma, Cipulus, & alij, cum quibus

Dico, Verbum uniti humanitati sine ullo præ-

fus medio, aut modo, ab extremis modaliter distincto.

46.

Hanc conclusionem probant plures ex nostris Thomistis ex D. Thoma in 3. dist. 2. quæst. 2. art. 2. in corpore, ubi sic ait: *Sciendum est quod in unione humane nature ad divinam, nihil potest cadere medium, formaliter unionem causans, cui per prius natura humana coniungatur, quam divina persona: sicut enim inter materiam & formam nihil cadit medium in esse, quod per prius sit in materia, quam forma substantialis, alias esse accidentale esset prius substantiali, quod est impossibile; ita etiam inter naturam & suppositum, non potest aliquid dicto modo cadere medium, cum utraque conjunctio sit ad esse substantiale.* Verum in hoc loco S. Doctor non excludit medium quod, sed tantum medium quod, inquit enim, a natura humana sit assumpta à Verbo, mediante gratiâ habituali, quæ est accidens quoddam de genere qualitatis, & respondet negativè, quia sicut inter materiam & formam non potest esse aliquid medium, quod per prius habeat esse in materia, quam forma: ita nec inter Personam Verbi, & humanam naturam. Et rationem assignat, quia *alias esse accidentale esset prius quam esse substantiale.* Quæ ratio, ut patet, non excludit aliud quam medium quod, non solum habens rationem medij, sed etiam extremi afferentis esse accidentale, quod prius sit in humanitate Christi, quam esse substantiale: medium enim quod non est aliquid accidens, sed modus quidam substantialis, non afferens esse distinctum ab esse extremorum. Unde D. Thomas in eodem articulo quæstiunculâ 3. ad 1. sic adhuc expressius aperit suam mentem: *Dicendum quod nihil prohibet accidens esse medium in conjunctione substantiali, sicut conjunctionem consequens: impossibile est autem ut sit medium conjunctionem causans.* Quibus verbis evidenter insinuat se toto illo articulo non loqui nisi de medio quod sit verum accidens, quodque non solum sit nexus, sed etiam habeat rationem extremi, quod per prius uniatur nature humanæ, quam persona Verbi; eique prius conferat esse accidentale, quam habeat esse substantiale à Verbo; quod non haberet modus unionis quem admittunt Adversarij, quia volunt illum esse aliquid substantiale, modaliter ab extremis distinctum, & existens per existentiam extremorum, sive totius. Idem medium quod excludit S. Doctor hinc quæst. 6. art. 6. ad 1. his verbis: *Unio nostra ad Deum est per operationem, in quantum scilicet eum cognoscimus & amamus; & ideo talis unio est per gratiam habituales, in quantum operatio perfectè procedit ab habitu, sed unio nature humane ad Verbum Dei, est secundum esse personale, quod non dependet ab aliquo habitu, sed immediatè ab ipsa natura.* Unde in rei veritate nullus habetur locus in quo formaliter D. Thomas excludat unionem, à natura humana & Verbo unitis distinctam, quæ solum sit modus quidam substantialis, qualem valde probabiliter Complutenfes, & alij recentiores Thomistæ inter materiam & formam constituunt: quamvis (ut ostendimus, ponderando vim rationis fundamentalis) colligi possit ex illius doctrina, modum illum non esse admittendum.

47.

Plures autem afferuntur rationes ab Authoribus, ad modum illum impugnandum. Prima est, quia talis modus deberet esse supernaturalis, etiam quoad substantiam: hoc autem esse impossibile colligi videtur ex eo quod non esse possibilis

A aliqua substantia supernaturalis, ut ostendimus in Tractatu de Visione beatifica, disputatione 1. art. 1. §. 2.

Verum hæc probatio non est efficax, nam ut ibidem declaravimus, ratio ob quam non est possibilis substantia supernaturalis, est quia supernaturalitas in entibus creatis consistit formaliter in habitu ad Deum ut est supernaturalis, tam in esse objecti, sive termini, quam in esse entis, tanquam ad objectum specificativum, aut finem connaturalem: repugnat verò substantiæ ita ordinari ad Deum essentialiter, quia cum substantia sit in se completa, utpote ens per se, & propter se, repugnat illi dependere ab aliquo extrinseco essentialiter, tanquam à termino specificante. Hæc autem ratio convincit quidem impossibilitatem substantiæ completæ supernaturalis, sed non substantiæ incompletæ, qualis esset modus unionis, si daretur: siquidem non est contra rationem substantiæ incompletæ, ordinari ad aliquid extrinsecum essentialiter; nam materia ordinatur essentialiter ad formam, & forma ad materiam: unde etiam dici posset dari modum unionis supernaturalis, consistentem in transcendentali habitu ad Verbum, ut terminans naturam humanam.

Secunda ratio quam plures adducunt ad veritatem conclusionis evincendam, est quia si esset necessaria unio inter humanitatem & Verbum, maxime quia extrema realiter distincta nequeunt actu uniri sine aliquo medio reali, ab utroque extremo realiter distincto: Sed hæc ratio (inquit) nulla est, quia si quid probaret, convinceret dari processum in infinitum in unionibus: nam si extrema realiter distincta nequeunt actu uniri sine medio reali, & realiter distincto, modus unionis distinctus realiter ab humanitate & Verbo, non posset illis immediatè sine aliquo vinculo realiter distincto copulari, de quo eadem esset difficultas, & sic procederetur in infinitum.

Sed ab hac etiam ratione facile possunt se expedire Adversarij, dicendo propositionem illam, *Realiter distincta nequeunt actu uniri, sine medio distincto realiter*, non esse intelligendam universaliter de quibuscumque realiter distinctis, sed de illis solum quæ ita sunt realiter distincta, ut de nullius essentiali ratione sit esse alteri conjunctum: modus autem unionis est talis nature, ut sit essentialiter nexus duorum extremorum; atque ita de ejus ratione est alteri actualiter connecti ut quo, unde non copulatur extremis per aliud vinculum à se distinctum, sed immediatè per seipsum; quia quod est essentialiter tale, nequit fieri tale per aliquid à se distinctum: sicut quia existentia est essentialiter id quod aliquid existit, non debet, nec potest, per aliquid à se distinctum existere, nec relatio referri per aliam relationem, aut actio fieri per aliam actionem. His ergo rationibus prætermisissis.

Probatur primò conclusio ratione fundamentali, quæ potest sic proponi. Per illud Verbum divinum unitur actu & formaliter humanitati assumptæ, per quod exercet in ea rationem termini & ultimi complementi: Sed exercet in ea rationem termini formaliter, per suam personalitatem, absque aliquo alio intermedio: Ergo per illam formaliter, absque aliquo etiam modaliter distincto illi unitur. Major est evidens, nam cum Verbum uniatur nature humanæ, per modum termini ultimi & complementi, necesse est ut id per quod illi unitur, sit ipsum actuale exercitiū

terminandi: sicut quia forma unitur materiae per modum actus informantis, illud per quod ei unitur, est exercitium actuale informantis. Minor vero probatur. Nihil creatum potest esse actuale exercitium, sive actus secundus virtutis terminativae personalitatis Verbi ad extra: Ergo Verbum Divinum exercet formaliter rationem termini naturae humanae, sive terminat naturam humanam in actu secundo, per solam suam personalitatem. Consequentia est evidens, Antecedens vero probatur. Non minus est infinitum Verbum Divinum, & actus purus in ratione termini naturae, quam Deus ipse absolute in ratione principij productivi: Sed ex eo quod Deus est simpliciter infinitus, & actus purus in ratione principij productivi, exercitium producendi res ad extra non potest esse aliquid ab illius infinita virtute productiva in recto distinctum; unde docent communiter Thomistae, Deum non operari ad extra per actionem formaliter transseuntem, sed virtualiter tantum, quae est ipsamet actio increata, sine virtuali distinctione identificata cum virtute illius operativa: Ergo ex eo quod Verbum Divinum est infinitum, & actus purus, in ratione termini naturae, exercitium terminandi naturam non potest esse aliquid creatum, & ab ejus personalitate realiter distinctum.

52. Dices, hoc argumentum convincere quidem inter humanitatem & Verbum non requiri modum aliquem unionis ex parte Verbi, sed non ostendere, illum non requiri ex parte naturae humanae; nam cum illa sit finita & potentialis, non est sua terminatio passiva.

53. Sed contra: Si ad hoc ut Verbum uniatur naturae create per modum termini, non requiratur aliquid medium ex parte Verbi, non requireretur etiam ex parte naturae humanae. Et ratio est evidens, nam hoc ipso quod Verbum intelligitur actu intrinsece unitum naturae create, oportet ut ipsa pariter eidem intelligatur intrinsece unita: Ergo si Verbum intrinsece communicat se humanitati per modum termini, sine aliquo medio realiter distincto, etiam natura humana erit eidem intrinsece unita absque ullo medio. Consequentia patet, Antecedens probatur. De ratione unionis est quod sit plurimum vinculum, & quod plura inter se jungantur & copulet: Ergo sicut impossibile est materiam esse unitam formae, nisi etiam, praescripto quocumque alio, forma sit unita materiae; ita implicat quod Verbum intelligatur actu intrinsece unitum naturae humanae, nisi etiam recipere ipsa humanitas illi conjuncta intelligatur, praescripto quocumque alio. Unde si ad hoc ut Verbum uniatur humanitati assumptae per modum termini, non requiratur aliquid medium ex parte Verbi, non requireretur etiam ex parte naturae humanae.

54. Confirmatur haec ratio fundamentalis: Subsistentia creata immediate unitur per seipsam naturae create: Ergo multo magis id debet concedi subsistentiae divinae. Antecedens videtur certum, Tum quia subsistentia nullam formaliter exercet causalitatem in natura, sed puram rationem terminati: terminus autem immediate seipso terminat. Tum etiam, quia si admittatur aliquis modus substantialis, per quem subsistentia conjungatur naturae quam terminat, oportebit etiam fingere alium modum substantialem unionis inter existentiam & suppositum, & sic modorum non erit modus. Consequentia vero probatur: Personalitas Verbi est simpliciter infinita, & actua-

Tom. IV.

55. A lissima in ratione terminandi, continet enim omnem perfectionem & rationem terminandi, seclusis imperfectionibus quae in creatis subsistentiis reperiuntur: Ergo si subsistentia creata immediate per seipsam terminet naturam creatam, multo magis id debet concedi subsistentiae increatae Verbi.

Nec valet si dicas, subsistentiam creatam esse suam rationem terminandi, quia est modus quidam: nam inde sumitur optimum argumentum ad probandum etiam personalitatem Verbi Divini posse per seipsam actualiter terminare humanitatem Christi: nam si subsistentia quae est modus, ac proinde realitas valde imperfecta & potentialis, id habet, priori jure id habebit subsistentia Divini Verbi, quae est actualissima, continetque omnem perfectionem ipsius creatae subsistentiae.

56. Ex hac ratione desumpta ex principiis D. Thomae, duo intelliges: Primum est, quod licet nostra conclusio non habeatur formaliter in terminis apud S. Doctorem, eam tamen ab ipso innuati omnibus locis, in quibus secundum communem Ecclesiae consensum docet unionem humanitatis cum Verbo esse factam in persona, & naturam humanam formaliter & per se primo ad personalitatem Verbi esse assumptam. Non agitavit autem specialiter hanc difficultatem, sed excluso medio quod afferente esse accidentale, de quo solum temporibus ipsis erat controversia inter Theologos, existimavit se sufficienter conclusionem positam insinuare, dicendo unionem humanae naturae cum Verbo, fuisse factam formaliter in persona.

57. Secundum quod ex eadem ratione colligitur, est male eos argumentari, qui probant dari medium inter humanitatem & Verbum, quia datur medium inter materiam & formam: admittenda enim opinione illa probabili, quae admittit modum unionis inter materiam & formam, assignatur notabilis ratio discriminis, Primum quia materia & forma sunt verae causae exercentes adinvicem & respectu totius causalitatem, atque ita earum causalitas debet esse aliquid medium inter illas, sicut etiam causalitas omnium aliarum causarum, est aliquid realiter medium inter illas & earum effectus. Secundum, quia non est de ratione formae esse actu unitam materiae, nec e contra. At vero personalitas Verbi non exercet ullam causalitatem respectu naturae humanae, sed puram rationem terminati, de cujus natura est actu terminare, atque ita per seipsam immediate rei terminatae uniri.

58. Probatur secundo conclusio alia ratione quam fuisse prosequitur Cipullus hic dubio 2. §. 3. Si Pater vel Spiritus Sanctus unirentur humanitati a Verbo assumptae, aut alteri naturae create, unio ipsorum fieret sine ullo modo substantiali intermedio: Ergo & unio Verbi cum humanitate assumptae, sine tali medio facta est. Consequentia patet ex paritate rationis. Antecedens vero in quo est difficultas, sic ostenditur. Si ad hoc ut Pater & Spiritus Sanctus unirentur naturae create, esset necessarius aliquis unionis modus, vel ille esset ejusdem rationis cum eo qui de facto conjungit Verbum humanitati, in sententia Adversariorum, vel diversa? Neutrum dici potest: Ergo &c. Minor quoad primam partem probatur. Illi unionum modi non possunt esse ejusdem rationis, qui habent terminos diversae rationis quasi specificae: Sed modi unionum copulantes Pa-

M m m ij

trem & Spiritum Sanctum naturæ creatæ, haberent terminos diversæ rationis ab eo qui Verbum conjungit naturæ humanæ: Ergo non essent ejusdem rationis cum eo. Minor patet, quia licet personæ divinæ sint ejusdem essentiae, tamen in ratione personæ sunt quasi diversæ speciei, cum constituentur proprietatibus relativis diversæ rationis: unio autem naturæ creatæ cum divinitate, non fit immediatè in natura, sed in persona; unde terminus primarius illius, & immediatus, est divina persona. Major verò probatur: Modus unionis debet à termino specificari: Ergo cum diversitate quasi specifica terminorum, non potest stare unitas specifica unionum; unde propterea in sententia probabili, quæ ponit unionem inter materiam & formam, unio illa quæ conjungit corpori animam rationalem, est diversæ rationis ab illa quæ unit corpori animam equi.

Suadetur etiam Minor principalis, quoad secundam partem. In entibus absolutis diversæ speciei, reperitur semper excessus & defectus secundum perfectionem specificam, quia species se habent veluti numeri, ut docet Aristoteles: Sed in perfectus esse debet unus illorum modorum unionis qui conjungerent tres personas naturæ creatæ, quàm alius: Ergo non possent esse diversæ rationis specificæ. Major patet, Minor etiam videtur certa, quia non esset unde inæqualitas eorum desumeretur, cum divinæ personæ per ordinem ad quas essentialiter constituerentur, sint æquales in perfectione.

Quod si dicas posse reperiri inæqualitatem ex parte naturarum quæ assumi possunt, huic responsioni via præcluditur, si supponatur tres personas divinas assumere tres humanitates. Adde quod unio Dei cum natura creata ad esse personale, est summa communicatio Dei ad extra: Ergo non posset unio unius personæ esse perfectior unione alterius, aliàs ista non esset summa, quod est contra rationem unionis hypostaticæ cum natura creata.

§. II.

Precipue objectiones solvuntur.

59. **O**bjicies primò: Natura quæ ad plura indifferens est & indeterminata, non potest unum illorum habere determinatè, nisi ei aliquid superaddatur; unde cum humanitas ex se indifferens sit ut terminetur per propriam substantiam creatam, vel per substantiam increatam Verbi Divini, ut terminetur personalitate Verbi, eget aliquo superaddito: Sed illud non potest esse nisi modus substantialis unionis: Ergo talis modus in humanitate assumpta necessariò admittendus est. Major videtur manifesta, si enim nihil adveniat rei indifferenti & indeterminatæ, eodem modo se habebit ac se habebat antea, atque adeò semper manebit in sua indifferentiâ & indeterminatione. Minor verò probatur. Illud superadditum vel erit actio unitiva Dei, vel relatio resultans in humanitate assumpta, vel modus substantialis unionis? Primum dici non potest, quia actio unitiva extrinseca est humanitati, & statim transit factâ unione. Secundum etiam non potest affirmari, quia illa relatio consequitur ad unionem jam factam, & supponit, saltem prioritate naturæ, ipsam naturam humanam esse terminatam à personalitate Verbi: Ergo solum restat modus ille unionis, per quem natura humana

A determinetur ad recipiendam substantiam Verbi Divini.

Confirmatur: Humanitatem esse hypostaticè unitam Verbo Divino, & terminatam personalitate ipsius, est aliqua formalitas realis in rebus natura de novo existens: Sed hæc formalitas non est sola entitas humanitatis, aut Verbi, quia entitas increata Verbi erat ab æterno, ac proinde ante unionem hypostaticam; & similiter humanitas prius saltem naturâ producta erat quàm uniretur Verbo: Ergo præter entitatem humanitatis & Verbi, debet superaddi aliquis modus unionis, per quem humanitas dicatur unita Verbo hypostaticè, & ab illo substantialiter terminata.

B Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: Natura quæ ad plura indifferens est & indeterminata, ex natura sua, non potest unum illorum habere determinatè, nisi ei aliquid superaddatur, concedo Majorem. Natura quæ ad plura indifferens est solum ex potentia obedientiali, nego Majorem. Natura verò humana non est ex se & ex propria natura indifferens ad hoc ut terminetur per propriam personalitatem creatam, vel per substantiam Verbi Divini; est enim ex sua natura determinata ad propriam substantiam, quam connaturaliter exigit, & solum indifferens est ex potentia obedientiali, quæ quilibet creatura subditur Deo ut in ipsa faciat quicquid non implicat contradictionem. Unde illa non indiget modo substantiali unionis, ut ad increatam Verbi Divini substantiam determinetur; sed ad hoc sufficit actio unitiva Dei, quæ cum efficacissima sit, potest ea unire quæ longissimè etiam ad invicem distant. Et licet talis actio secundum se extrinseca sit humanitati, & transeat factâ unionem, tamen est intrinseca ratione sui termini formalis, in quo etiam virtualiter semper manet, nimirum ratione substantiæ Verbi Divini, ut communicatæ humanitati, quæ, ut infra dicemus, est terminus formalis actionis unitivæ Dei.

Adde quod argumentum illud facile potest D retorqueri in Adversarios: Natura enim humana secundum se est indifferens ad hoc ut recipiat, vel non recipiat illum modum substantialem unionis quem admittunt: Ergo ut illum recipiat, debet determinari per alium modum; & rursus ut recipiat illum alium modum, debet determinari per alium, & sic debetur processus in infinitum. Sicut ergo Adversarij tenentur respondere, naturam humanam non indigere aliquo modo vel entitate superadditâ, ut determinetur ad recipiendum modum illum substantialem unionis, qui sine dubio supernaturalis est, supposito quod datur, quia non est indifferens ad illum modum ex natura sua, sed solum ex potentia obedientiali, & sufficere actionem unitivam Dei, quæ producat effectivè talem modum in humanitate. Ita nos dicimus, ad hoc ut natura humana terminetur per substantiam increatam Verbi, non indigere aliquo modo substantiali, sed sufficere actionem unitivam Dei, quæ hujusmodi extrema inter se conjungat.

E Ad confirmationem respondeo humanitatem esse hypostaticè unitam Verbo Divino, & terminatam personalitate ipsius, esse quid reale in rerum natura de novo existens, non tamen modum substantialem unionis, nec solam naturam humanam præcisè, aut solam personalitatem Verbi, sed esse ipsam naturam humanam, ut terminatam divinâ personalitate, sive ut connaturam

tem divinam subsistentiam, per modum termini ipsam complementis & terminantis. Sicut in sententia eorum qui inter materiam & formam modum unionis non admittunt, materiam esse unitam formæ, nihil aliud importat, quam materiam ipsam connotantem entitatem formæ illam informantis & actuantis. Ad hoc autem ut humanitas de novo connotet personalitatem Verbi, per modum termini ipsam complementis, requiritur quod ponatur actio unitiva Dei, per quam personalitas Verbi Divini communicetur naturæ humanæ. Sicut ad hoc ut materia connotet formam, per modum actus illam informantis, debet præsupponi actio unitiva generantis, per quam forma communicetur materię, tanquam actus propriæ potentiæ.

64. Dices, Actio illa unitiva Dei, debet habere alium terminum productum, cum sit virtualiter transiens: Sed non videtur posse habere alium terminum productum, quam modum unionis copulantis Verbum naturæ humanæ: Ergo necessario admitendus est modus ille. Major patet, Minor probatur. Vel terminus ille esset Verbi subsistentia, vel humanitas assumpta: Sed non primum, cum Verbi subsistentia sit increata, & ab æterno existens. Neque etiam secundum, quia, ut infra dicemus, humanitas fuit producta per actionem distinctam ab actione assumptiva, seu unitiva, quæ actio fuit vera generatio, ad quam B. Virgo præbuit suum concursum, cum tamen non influxerit in actionem assumptivam, seu unitivam humanitatis cum Verbo: Ergo actio unitiva Dei non potest habere alium terminum productum, quam modum unionis copulantis Verbum naturæ humanæ.

65. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem: Ad probationem in contrarium dicendum, neque personalitatem Verbi, neque humanitatem assumptam, esse terminum productum per assumptionem, sed hoc compositum ex divinitate & humanitate, quod dicitur Christus: sicut proportionaliter terminus productus per humanam generationem, neque est anima rationalis, cum fiat per creationem, neque similiter corpus, quia supponitur generationi, cum dicat solam materiam, ut radicem huius numero quantitatis, sed est suppositum humanum.

66. Instabis, Licet Christus sit terminus qui, sive totalis actionis Dei unitivæ, non tamen est terminus eius quo, sive formalis: Sed actio Dei unitiva, nedum habere debet terminum qui, sive totalem de novo productum, sed etiam terminum quo, sive formalem, qui non potest esse alius quam modus unionis copulantis Verbum naturæ humanæ: Ergo &c.

67. Respondeo concessa Majori, negando Minorem: duplex enim solet distingui actio, quarum una dicitur productiva, seu effectiva, altera vocatur unitiva; inter quas hoc intercedit discrimen, quod actio productiva efficit non solum terminum totalem, sed etiam formalem: v. g. generatio leonis non solum producit totum compositum genitum, nimirum leonem, sed etiam formam substantialem illius quam educit è sinu materiæ: actio verò purè unitiva, producit quidem terminum totalem, non tamen formalem, quem solum coniungit alteri, ut patet in generatione hominis: homo enim generans producit quidem ipsum suppositum genitum, quod est terminus totalis generationis, non tamen producit animam rationalem, quæ est terminus formalis genera-

Tom. IV.

A tionis humanæ; quia anima rationalis non educitur de potentia materiæ, sicut alia formæ corporeæ, sed à solo Deo creatur; unde homo generans habet solum illam unire materiæ, mediantibus dispositionibus quas in illam introducit.

Urgebis: Non potest intelligi quomodo terminus qui sive totalis producat, nisi per productionem termini formalis: Ergo si actio unitiva terminum qui, sive totalem producat, etiam terminum quo, sive formalem efficit.

Sed nego Antecedens, ex eo enim producit terminus qui, sive totalis, quod terminus formalis per actionem aliquam communicetur, & coniungatur alteri extremo, sive per eandem actionem terminus ille formalis producat, sive supponatur productus per aliam actionem; sive etiam sit aliquid improductum. Et ratio est, quia ex illa conjunctione præcisè termini formalis cum altero extremo, resultat totum quod antea non erat.

Quod si adhuc instes, & dicas, terminum formalem non posse communicari alteri extremo cui antea non communicabatur, nisi per aliquid superadditum, ipsa enim communicatio debet esse aliquid ab eo distinctum. Respondeo non posse communicari nisi per aliquid superadditum, quod sit actio communicativa, concedo. Quod sit vinculum medians, & realiter distinctum, nego: quando terminus formalis est tantæ actualitatis ut sit ex seipso formaliter totum illud quod sua communicatio, sive exercitium efficiendi aliud extremum, dicit in recto, ut contingit in proposito: nam sicut principium activum, quod ratione suæ summæ actualitatis est formaliter sua actio, infert effectum extra se, absque aliquo medio, per hoc solum quod ad ipsum terminatur, ut contingit in Deo; ita etiam extremum alteri communicabile, quod est actus purus, & ratione summæ actualitatis suam communicationem sibi identificat, non coniungitur sive communicatur alteri extremo, per aliquid superadditum per modum vinculi, sed per seipsum immediate, connotando tamen actionem per quam aliud extremum sibi applicat.

Obijcies secundò: Debet assignari aliquod fundamentum illius relationis quæ resultat in humanitate Christi in ordine ad Verbum Divinum: At hoc non potest esse aliud quam modus substantialis unionis copulantis Verbum naturæ humanæ; non enim potest esse actio unitiva Dei, cum illa sit formaliter immanens in Deo, ac proinde non recepta in humanitate; neque humanitas præcisè & secundum se, alias omnis humanitas fundaret talem relationem; nec etiam personalitas Verbi communicata humanitati, quandoquidem illa est terminus talis relationis: Ergo modus ille substantialis unionis, necessario admitendus est.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, nam fundamentum remotum relationis quæ resultat in humanitate Christi in ordine ad Verbum Divinum, est ipsa actio unitiva Dei, per quam effectivè coniungit naturam humanam personalitati Verbi, & quæ licet sit formaliter immanens, est tamen virtualiter transiens: fundamentum verò proximum est terminatio passiva humanitatis, sive quod idem est, ipsa humanitas, ut terminata personalitate Verbi, vel unitas realis personæ Christi in qua natura divina & humana conveniunt. Quod potest declarari & illustrari

M m m iij

exemplo relationis quam materia dicit ad formam, & forma ad materiam: illi enim Philosophi qui non admittunt modum substantialem unionis inter materiam & formam, dicunt fundamentum remotum hujus relationis esse actionem unitivam generantis, per quam forma communicatur materiae, & ipsi unitur; fundamentum verò proximum esse ipsam unionem passivam, quæ nihil aliud est quàm sustentatio formæ, & informatio materiae. Vel ut alij volunt, fundamentum proximum hujus relationis est unitas compositi ad cuius constitutionem materia & forma uniuntur. Idem proportionaliter dicendum est de relatione quæ resultat in humanitate Christi in ordine ad Verbum Divinum, eam scilicet fundari remota in actione unitiva Dei, proxime verò in terminatione vel assumptione passiva humanitatis; vel ut alij volunt, in unitate personali Christi, in quo natura divina & humana conveniunt. Quod ut magis illustretur.

72. Advertendum est, hanc relationem, cum sit altioris ordinis, assimilari partim relationibus primi generis, quæ fundantur in unitate & numero; partim relationibus secundi generis, quæ fundantur in actione & passione. Ex hac ergo parte quæ illa relatio est similis relationibus primi generis, fundatur in unitate personali Christi; ex alia verò quæ assimilatur relationibus secundi generis, fundatur in actione unitiva Dei, & in terminatione seu assumptione passiva humanitatis; talis enim terminatio, seu assumptio, est veluti quædam passio, non formaliter, sed virtualiter: sicut & ipsa actio unitiva Dei, non est formaliter, sed tantum virtualiter transiens.

73. Objicies tertio: Humanitas Christi prius prioritate naturæ quam referretur ad Verbum Divinum, per sui assumptionem immutata fuit: Sed hoc salvari nequit, nisi admittatur in humanitate modus substantialis unionis per quem formaliter conjugatur Verbo Divino: Ergo talis modus necessario admittendus est. Major videtur certa in doctrina D. Thomæ, qui varijs in locis docet relationem prædicamentalem quæ humanitas consequenter ad sui assumptionem refertur ad Verbum Divinum, causari ex mutatione non ipsius Verbi, sed humanitatis quæ ad illud assumitur. Minor verò suadetur. Non videtur posse salvari quòd aliqua natura priusquam referatur ad aliud, immutetur, nisi antecedenter ad ejusmodi relationem, vel aliquid de novo in se recipiat, vel aliquid ex ijs quæ habebat prius, prioritate saltem naturæ, deperdat: Ergo cum humanitas Christi in sui assumptione ad Divinum Verbum, nihil amiserit quod haberet prius, prioritate etiam naturæ, ut salvetur per talem assumptionem immutatam fuisse, necesse est fateri aliquid in ea fuisse receptum antecedenter ad sui relationem ad Verbum, quod non potest esse aliud quàm modus substantialis unionis.

74. Respondeo distinguendo Majorem: Humanitas Christi prius prioritate naturæ quam referretur ad Verbum, per sui assumptionem immutata fuit, mutatione propriâ & rigorosâ, nego: mutatione impropria & largè sumptâ, concedo; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam.

Explicatur solutio: In mysterio Incarnationis natura humana non mutatur propriâ & rigorosâ mutatione. Primò quia ad mutationem propriam & rigorosam necessarium est ut res quæ dicitur mutata, ante receptionem ejus ratione cujus mu-

A tata dicitur, præexistat: humanitas autem Christi non præexistit antequam terminaretur per personalitatem divinam, cum eodem instanti producatur sit & assumpta à Verbo, ut dicemus articulo sequenti. Secundò, quia terminatio non est propriè receptio alicujus formæ, quæ tamen ad rigorosam mutationem requiritur. Si autem loquamur de mutatione largè & improprie sumpta, concedi potest humanitatem Christi mutatam esse; quæ mutatio consistit in hoc quod cum haberet naturalem inclinationem ad propriam subsistentiam, terminata fuit per alienam, scilicet divinam. Potestque hæc solutio & doctrina illustrari ex opinione probabili, quæ nullum inter materiam & formam modum unionis admittit, nam juxta hanc sententiam, ut anima rationalis, de non unita corpori, fiat ipsi unita, & ad illud ut ad suam partem referatur, non requiritur quod mutetur mutatione propriâ & rigorosâ, sed sufficit mutatio quædam impropria & largè sumpta, nimirum extrinseca quædam connotatio, quæ connotet materiam ut potentiam recipientem, quam antea non connotabat. Cur ergo pariter idem dici non poterit de humanitate assumpta à Verbo, eam scilicet priusquam referatur ad Verbum, non debere immutari mutatione propriâ & rigorosâ, modum substantialem unionis recipiendo, sed sufficere mutationem largam & impropria, quæ ex actione unitiva Dei, & passiva Verbi Divini terminatione ipsi advenit?

ARTICULVS IV.

Vtrum assumptio humanæ naturæ ad personam Verbi Divini, sit una eademque realiter actio cum creatione animæ, & productione humanitatis Christi?

75. Non procedit difficultas ista de assumptione humanæ naturæ activè sumpta, prout se tenet ex parte Dei assumptis, certissimum enim est, quod cum in sententia D. Thomæ, omnia operetur Deus per unam eandemque realiter actionem, formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem, eadem entitativè actio fuit per quam Deus animam Christi creavit, ejus humanitatem produxit, & ad personalitatem sui Verbi eam assumpsit, sed de assumptione humanæ naturæ passivè sumpta, prout se tenet ex parte ipsius termini, nempe animæ Christi, & ejus humanitatis. Hoc præmissis.

76. In hujus difficultatis resolutione est quorundam modernorum sententia, asserens unam & eandem actionem realiter esse simul creationem animæ Christi, productionem, & assumptionem humanitatis ejus, sub quadam eminenti quadam ratione est simul vegetativa, sensitiva & rationalis. Ita Cabrera hic art. 11. disp. 2. & quidam alij moderni. Oppositum docent alij Thomistæ, existimantes creationem animæ Christi, generationem ipsius humanitatis, & ejus assumptionem ad personam Verbi Divini, esse tres actiones realiter inter se distinctas; quam sententiam, ut probabilior, & in schola D. Thomæ communior eligens,

77. Dico, tres illas actiones realiter inter se distingui.

Probatur primò conclusio ratione fundamenti.